

micorum materia, si per coctionem idonei caloris perfecta fiat, & purificetur, superflua viscosa terrena sulphureitas separetur, vna cum superuacanea comburibili argenti viui aquositate, adeo vt vna sola, clara, pura, æternaque substantia ex duplici ista substantia, proprietate sulphuris, & argenti viui fiat, in se habens omnium purissimum argentum viuum, & sulphur. In arte, operatio Naturæ est persimilis, quamobrem recte vereque Philosophi loquuti sunt: Ars nostra, inquit, est in argento viuo, auro, & argento: Eorundem siquidem initium simile est argento viuo: intellige in specie, dum natura in eolaborare incipit, & commutat in metallum, quod in naturali lenique suo calore sublimauit & purificauit in venis rupium vel metallorum per purum aliquem vaporem, quemadmodum supra dictum est. Illi nunc adponimus aurum & argentum, illudq; ideo; quod nusquam inueniamus, neque aliter habere possimus in vnica aliqua re in terra vires metallicas, quæ potentiam habent ad vnicum argenti viui sulphur excitandum, per quam coagulatur, quam saltim in auro & argento. Si enim extra terram fiet, tunc etiam influentiam viresque auri & argenti habere nequit, neque etiam easdem lucrari potest absque auro & argento: per naturalem aliquam artem etiam fieri nequit, vt Philosophorum argentum viuum præparetur, & ad finem suum deducatur, vt constans fiat, sine auro & argento: Arti namque est impossibile, vt, per coctionem, absque auro & argento, finem terminumque consequatur, qui ab auro & argento illi destinatus est. Arti enim deest naturalis Minera, in quam sese naturales Influentiæ, ad aurum

Ggg 3 argen-

ubi metalla primaria
generantur in Thalya.
Vol. 1. p. 321.
41.

rationem vid. in
The Chym. Vol. 3. p. 67.

Pro pignora b. Hlibya
p. 34.

235.